

**1. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura—Prot. N. 37163/05 CA—
December 2, 2006—Dismissal of a brother from an institute
of consecrated life—Recourse against a decree of the Congresso—**

Prot. N. 37163/05 CA

Dimissionis

(Fr. N. – Congregatio pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae)

DECRETUM DEFINITIVUM
IN NOMINE DOMINI. AMEN

BENEDICTO PP. XVI feliciter regnante, Pontificatus sui anno II, die 2 decembris 2006, Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal, videntibus Em.mis ac Rev.mis Augustino Card. Vallini, *Praefecto*, Ioanne Ludovico Card. Tauran, atque Exc.mis ac Rev.mis D.nis Raimundo Leone Burke, *Ponente*, Francisco Coccopalmerio et Xaverio Echevarría Rodríguez, intervenientibus Cl.mo C. Gullo, utpote Recurrentis Patrono, Cl.ma M. Wegan, tamquam Patrona Congregationis pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae, et Rev.mo Francisco Daneels, o.praem, Promotore Iustitiae, in causa de qua supra, hoc definitivum tulit decretum.

I. FACTI SPECIES

1. Recurrens, die 26 iulii 1941 natus, die 14 augusti 1961 in Congregationem Fratrum [. . .] ingressus, die 15 augusti 1962 vota temporalia et die 28 iulii 1968 vota perpetua emisit.

Postea vero, in circumstantiis sufficienter expositis in impugnato Decreto Congressus, ad quod remittimus, Superior generalis una cum suo consilio die 21 novembris 2003 dimissionem Fratris N. decrevit. Quo decreto a Congregatione pro Institutis vitae consecratae et Societatibus vitae apostolicae die 10 februarii 2004 confirmato et fratri rite notificato, hic recursus hierarchicum proposuit et die 2 septembris 2004 perlongam defensionem exhibuit, sed idem Dicasterium die 28 februarii 2005 recursus reiecit.

Reiectione recursus die 11 aprilis 2005 notificata, frater N. die 22 aprilis 2005 ad H.S.T. provocavit. Re discussa inter Cl.mum C. Gullo, Patronum Recurrentis, Cl.mam M. Wegan, Patronam Congregationis et Instituti, necnon Rev.mum F. Daneels, o.praem., Promotorem Iustitiae, Em.mus H.S.T. Praefectus in Congressu diei 2 martii decrevit: "Recursus non esse admittendum et facto non admitti ad disceptationem coram Collegio Em.morum et Exc.morum Iudicum, utpote manifeste carentem fundamento".

Qua decisione die 17 martii 2006 notificata, Cl.mus C. Gullo, Patronus Recurrentis, die 21 martii 2006 recursus ad Em.mos et Exc.mos H.S.T. Iudices proposuit et die 26 eiusdem mensis rationes recursus exhibuit, ad quas respondit Rev.mus Promotor Iustitiae.

Quibus praehabitis, nunc Nobis respondendum est ad dubium: "**An Decretum H.S.T. in Congressu diei 2 martii 2006 latum reformandum sit**".

II. IN IURE ET IN FACTO

2. *De asserta violatione legis in procedendo*

Cl.mus Recurrentis Patronus iterum contendit quod “in prima monitione . . . , id est in illa diei 20 martii 2003, religioso non dabatur alternativa inter respiscientiam (oboedientiam) et dimissionem, vero tantummodo inter dimissionem voluntariam (a religioso praesentatam) et impositam (a Superiore). Non tractabatur ideo de vera monitione, sed de actu posito ad instar can. 1742 §1 et 1744 §1, qui nullam rationem habet cum nostra procedura. Errat ideo decretum, negans fumum boni iuris relate ad vitia in procedendo”.

Attamen, uti rite asseruit impugnatum Congressus Decretum, ex textu duplicis primae monitionis patet: a) causam dimissionis in illa monitione indicatam haudquaquam fuisse recusationem petendi dispensationem a votis; b) clare in eadem iterata prima monitione statutum esse: “In this case you should consider this letter as a first canonical warning in the sense of canon 697, 2”, atque datum esse terminum ad respiscendum: “Should you not react before the 1st of May 2003 [respective: “before the 1st of July 2003”], a second warning will follow, after which your case will be referred to the Holy See via the General Superior. We expect your answer in writing on or before the 1st of May 2003” [respective: “on or before the 1st of July 2003”].

Ruit igitur speciosum Cl.mi Recurrentis Patroni argumentum.

3. *De assertis violationibus legis in decernendo*

a. Negat Cl.mus Recurrentis Patronus assertionem impugnati Congressus Decreti, iuxta quam “Fratr N. . . de facto haudquaquam ad provinciam propriam sese transtulit”, asserens quod a “mense novembr[i] 2000 . . . recurrens per [longas periodos] in patria rediit ideoque iussui recepto obtemperavit. Aliae affirmationes sunt probandae”.

Recte vero idem impugnatum Decretum rem ita consideravit (sub n. 5, b): “Fratr N., utique, pluries diversas ob rationes (vacationis vel familiae assistendae causa) patriam visitavit, sed de facto haudquaquam ad propriam provinciam sese transtulit, ideoque pertinaciter neglexit iterata praecepta in re data . . .”. Quae res plane constant ex actis.

b. Relate ad adductas causas eximentes vel inoboedientiam attenuantes, impugnatum Congressus Decretum (sub n. 5, d), inter alia, haec habet “Fratr N. dein oboedire non posset eo quod cum Ministerio Educationis [suae patriae] ligatus esset ad remanendum in [natione africana] ex contractu civili, cuius inobservantia pro eo, si et quatenus, secumferre potuisse videtur pensionem minus lautam in casu senectutis. Haec autem hypothetica possibilitas non apparet pro religioso incommodum tam magnum ut ab oboedientia excusaret”.

Iamvero deperditio (lautioris) pensionis ab eodem Cl.mo Patrono ante Congressum non erat proposita uti res certa, sed tantum hypothetica, uti ceterum elucebat ex ipsissimis fratris N. verbis: “. . . I may be accused of breach of contract and lose a lot . . .”. Utcumque non agebatur de incommodo tam magno pro religioso, ut ab oboedientia excusaret, prae oculis habitis iis quae Paulus Pp. VI edixit de natura oboedientiae in instituto religioso (cf. Adhortatio Apost. *Evangelica testificatio*, d. 29 iunii 1971, n. 28).

c. Impugnatum Congressus Decretum, tandem, sedulo prae oculis habuit rationem dimissionis fratris N. non fuisse introductionem causae civilis, sed eius obstinatam inobedientiam erga praeceptum sese in provinciam propriam transferendi, quidquid censeat eius Cl. mus Patronus de intentione eius Superiorum.

4. *Quaedam animadversio*

Ad abundantiam impugnatum Congressus Decretum (sub n. 6) etiam quandam animadversionem proposuit circa causam civilem a fratre N. promotam. Cl. mus eius Patronus fortiter contendit iurisprudentiam H.S.T. hac in re carere iuridico fundamento, eo quod privilegium fori, de quo in can. 120 CIC 1917, non amplius existit. Illud vero privilegium vetuit clericos coram iudice civili citare etiam in causa mere civili et uti obsoletum in CIC 1983 suppressum est. In casu, vero, haud agebatur de controversia mere civili. Contractus enim laboris alicuius religiosi cum quadam dioecesi cadit sub can. 682, §2, explicite in impugnato Decreto citato (cf. can. 1400, §2). Frater N., si et quatenus, recurrere poterat ad normam cann. 1732–1739, sed id tempore opportuno facere praetermisit. Censent etiam infrascripti Patres minime iustificari introductionem causae civilis ex parte Recurrentis in materia, quae sub iurisdictione Ecclesiae cadit.

III. CONCLUSIO

5. Omnibus sive in iure sive in facto aequè rimatis, infrascripti Patres pro Tribunali sedentes ac solum Deum prae oculis habentes, dubio proposito respondendum decreverunt ideoque facto respondent:

Negative, seu decretum Congressus H.S.T., die 2 martii 2006 latum, non esse reformandum.

Solvatur Cl. mo Rev. di Recurrentis Patrono congruum honorarium ex cautione a Congregatione Fratrum [. . .] in arca H.S.T. deposita; reliqua pars cautionis retineatur pro expensis processualibus. Pars vero resistens suae Cl. mae Patronae honorarium solvat.

Ita pronuntiamus ac statuimus, mandantes iis quorum interest, ut hoc Nostrum definitivum decretum executioni tradant, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 2 decembris 2006.

(Signati) Augustinus Card. Vallini, *Praefectus*
Ioannes Ludovicus Card. Tauran
+ Raimundus Leo Burke, *Ponens*
+ Franciscus Coccopalmerio
+ Xaverius Echevarría Rodríguez

Notificetur.

Die 19 ianuarii 2007.

+ Velasius De Paolis, C.S., *Secretarius*

Paulus Malecha, *vices Praepositi Cancellariae gerens*